

### III.

# NEOVIDENSIS

Nro 77. (*Neovidensis* Nro 100.)

*Gnosiacus* Dux elegantia hujus *Dialogi* permotus in convocato silentum concilio adjudicavit, ut idem ad orbem Europaeum deportetur.

Elysium -- Meum. -- Die Lunæ 24. Dec. 1804. (Neov. 11. Dec.)

— — Nihil fuit unquam  
 Tam dispar sibi — — *Horat.*

Colloquentes Personæ:

*Georgius Christophorus Lichtenberg, & Lavater.*

*Lichtenbergius.* Etiam tu amice *Lavater* hic? Sed non insistis pede volubili planetæ, neque caput tuum irradiat sol. (Hæc est descriptio, quam *Lavater* in suo opere: *Consideratio æternitatis*, dedit de *Beatis*.)

*Lavater.* Ita, & quidem cum gaudio conscius suæ existentiae, non redactus in nihilum, uti dubitans *Lichtenbergius*, de omnibus, quæ hic aguntur, apud superos perplexe judicabat.

*Lichtenbergius.* Vera dicis audacissime descriptior cœlestis peregrinationis! Existimus, & hoc superat meam fidem. Verum præsens noster status magis est similis *Hogarticiis* figuris, quam *Raphaelis* picturæ, quam in tuo exprimis opere. Forte est tantum transcen-

lentalis existentia absque omni modificatio-  
e, existentia in pura privatione consistens,  
& tantum conservatio ab interitu. Non ca-  
pio, quomodo possit umbra Lichtenbergii  
pparere umbræ Lavaterii, sed omnes istæ  
fraternæ umbræ, quas hic reperio, si cum  
priori nostro terrestri statu conferantur vi-  
dentur esse tanquam extinctæ Lampades, com-  
parate ad ardentis, veluti nox, & dies,  
hyems, atque ver.

*Lavater.* Amantissime Frater; tua fides,  
& fiducia erga Omnipotentem, neque in hac  
mirabili commutatione mundi superioris cum  
inferiore ulla cepit incrementa, tu naturæ  
scrutator plus videris didicisse metiri tuam  
parvitatem, quam magnitudinem Dei.

*Lichtenbergius.* Et Lavateri firmissima fides  
invenit utique etiam in hoc rerum statu, suf-  
ficientia argumenta sperandi cœlestia gaudia.

*Lavater.* Noli dubitare, abunde invenit.  
Præsens noster status est forte tantum præ-  
paratio ad eminentiorem existentiam: Status,  
qui a privationibus incipit (mors est præci-  
pua) & ad nobiliores positiones ducit. Jam  
hoc umbrosum esse, plus est, quam non  
esse, & in comparatione hujus manifestæ  
positivum quid. At quomodocunque se ista  
habeant, Omnipotentia Dei ultra se exten-  
dit, quam obtusa fides Lichtenbergii. Qui  
nos ex nihilo condidit, eodem modo pote-  
rit ex hac umbrarum valle ad cœlestem trans-  
ferre patriam.

*Lichtenbergius.* Per meos tubos opticos  
tam procul non video, & telescopia Herr-

scheliana respectu Lavaterianorum evanescent. Sed quid est, quod tantis animatus spebus huc adveniens tuam ex lineamentis vultus interiora hominis dignoscendi artem ibidem reliqueris?

*Lavater.* Alia tempora, alii mores, aliæ necessitates; Et si etiam in hac nova rerum conversione interna exterius apparuerint, efficiet Providentia, ut talis methodus reperiat, quæ deducat ad opera ejus cognoscenda, illustrandamque magnificentiam.

*Lichtenbergius.* Nil magis desidero in hac umbrarum regione pro animi mei hilaritate, quam scire, quod sit mihi imposterum accessurum ornamentum ex irradiato naso.

*Lavater.* Decetne, amabo, ratione præditum de prodigiis Divinis ita loqui, uti de Hogarticiis figuris æri incisis?

*Lichtenbergius.* Quid putas Lavater, nunquamne in ulla meæ existentiae periodo liberabor ab hoc stulto, & aperte superfluo humerorum onere? (*Lichtenbergio, veluti hoc ipse in nonnullis suorum scriptorum locis per jocum commemoravit, humeri concreverant.*)

*Lavater.* Ægre admodum, quamdiu idem spiritus hoc corpus animaverit. Primitivas spiritus, & corporis formas ego semper pro æternis habui.

*Lichtenbergius.* Jucundum auditu illis, quibus corporis, & spiritus species omnimodam attulit tranquillitatem.

*Lavater.* Utique inamænum talibus, qui propria culpa nolunt agnitos etiam errores

emendare, quibus depositis suam quoque machinam corpoream nobilitarent.

*Lichtenbergus.* Quomodo tibi placet Romani Pontificis adventus Parisios?

*Lavater.* Quemodmodum Napoleon dignitate Imperatoria Demagogiam penitus prostravit: ita Pius VII. ignominiam, quæ tempore vigentis ochlocratiae ejus Antecessori illata est, feliciter delevit. De hac Hydra uterque immortalē retulit victoriam, ut adeo Religio, & civile imperium post amplissimum triumphum se mutuo amplexentur. Præses Franciscus Neufchateau in sua oratione, quam ad Imperatorem 1. Decembris dixit, ad convellendam constitutionem Democraticam utitur argumento ab exemplo Persarum petito, quod in hunc modum proponit:

Memoriæ proditum est, antiquos Persas, ut populum de terribilibus periculis, & excessibus libertatis convincerent, hunc extraordinarium adhibuisse modum: Ad exiguum tempus inocularunt sibi pestem politicam, videlicet mortuo Rege quinque dies traduxerunt in Anarchia soluti ab omni civili potestate, & legibus. Licentia agendi nullis erat limitibus circumscripta, sed etiam nemo postea ejus poenas dedit. Hi quinque dies destinati erant exercendæ vindictæ, sceleribus, & violentiis, & ut paucis omnia dicam, hi quinque dies erant dies revolutionis. Isto tentamine facto fertur populus cum gaudio redivisse ad obedientiam suo Principi præstandam. Ex hoc experimento necessario

debut populū fastidire libertatem, quod utique eo ex fine instituebatur.

Ab hoc facto digressus est Orator ad Gallicam revolutionem, inter quam & dictos quinque persicos libertatis dies magna intercedit similitudo. Istitis politicæ petulantiaë saturnalibus tandem finem imposuit in Gallia introducta hæreditaria dignitas Imperatoris.

Peracta ergo est coronatio, cujus ultimam diem officiosum folium de 6. Decembris ita describit :

Hesterna dies utpote tertia a solennitate coronationis erat armis, fortitudini, & fidelitati sacra. Imperator inter exercitum, & prætorianam nationalem militiam distribuit aquilas, quas semper in via honoris proficiscentes obtinere possunt. Hæc solennis cærimonia locum habuit in campo Martio. Hac de causa in principe scholæ militaris loco erectum erat suggestum ex pluribus constans divisionibus, in cujus medio assurexit thronus Imperatoris, Imperatricisque; ad dextram hujus partem constiterunt Principes, Ministri, Mareschalli, officiales coronæ, sceminæ Principes, Matronæ aulicæ, & status consilium. In reliquis partitionibus dextrorsum, & sinistrorsum assignata erant loca Senatui, officialibus honorariæ legionis, Tribunali cassationis, Præfectis ærario, Legislativo corpori, extraneis Principibus, Legatis &c. Infra suggestum erant gradus, in quorum primo ordine stabant Provinciarum Præsides, Præfecti, Propræfecti, & Municipiorum consiliarii. In campum Martium descendebatur per alios

gradus, quos occupabant tribuni legionum, Præsides electivarum communitatum, manu tenentes Cæsareas aquilas, visebantur præterea militaria, & alia diei festæ convenientia ornamenta. Circa meridiem initium factum est Imperatoris procedentis ex suo Palatio ordina, qui eo, quo die coronationis, modo absolvebatur. Præcesserunt equites Prætoriani, & turma Mamelucorum, quos sequebantur Granatarii equis insidentes, & legio Selectorum: utrumque latus stipabant alii milites. Antequam fuisset ventum ad locum constitutum, ter fuere tormenta soluta. Imperatori ad scholam militarem adveniēti corpus diplomaticum sua exhibuit officia, quibus finitis Imperator, & Imperatrix Cæsareum induerunt vestitum, & præparatum conscenderunt thronum inter fragorem tormentorum, & festivas populi acclamationes. Dato dein signo propius ad thronum accesserunt Deputationes, ab exercitu, & nationali militia missæ. Tum assurgens Imperator, & vocem intendens: Milites, inquit, hic sunt vestra vexilla; Hæ aquilæ erunt semper signa vestræ conjunctionis; ubique conspiciantur, ubi eas vester Imperator pro defensione sui throni, & populi necessarias esse judicaverit. Jure jurando vos obstringetis prius vitam, quam aquilas relicturos, easque in omni prælio strenue propugnaturus; jurate itaque: Juramus, exclamarunt primum Præsides electivorum Collegiorum, deinde Præfecti militum, qui aquilas portabant, denique totus exercitus. His ita terminatis inter diversas legio-

nes distributæ sunt aquilæ; tandem exercitus, & nationalis militia in varias phalanges se dividens, servato ordine militari penes thronum pertransiit. Hora 5 reversus est Imperator domum. Tempestas festivitati non favit.

*Speculatio cujusdam Recursoris librorum.*

In Inelyto quopiam Regno invenerat Aesculapius salutaria curandæ valetudinis remedia, quæ Hyppix distrahenda concedidit. Versutus iste Hyppias spatio 7. annorum venditioni eorum diligentissime (*in suam utilitatem*) præfuit, sed perceptam pecuniam solvere distulit adeo, ut in præsens adhuc plures centenos florenos debeat, eapropter Aesculapius e re sua judicavit nunquam amplius comittere hujus infidelis administri fidei a se præparata medicamenta, qualia sunt: *Aegyptiacum vitæ balsamum. Anglica dolores leniens tinctura, & Hollandicum dentium antidotum.* Hyppias hac imminutione lucri motus more aliquorum equestris ordinis hominum confugit ad minas, datisque ad Aesculapium literis significavit, se tale quid effectui datum, unde ille ingens capiat detrimentum, affirmans nobili asseveratione (*vah! in quibus latebris delitescit nobilitas!*) se non solere in cassum minari. Et quem habuit effectum hæc ignobilitate nobilis comminatio? Ut Hyppias easdem medicinas, licet ab Aesculapio amplius non accipiat, hodie etiam vendat, imo apud se pro stare venales nuperrime in suis Ephemeridibus publicaverit. Hac de causa æquum est, & pro bono auxilii egentium necessarium, ut Publicum de Hyppia, ejusque nobili verbo cautius reddatur. Ille etenim nulla amplius acquirit medi-

camina ab Aesculapio. Ut autem hæ larvatæ personæ cum omnibus suis attributis noscantur, prodenda sunt earum nomina: Æsculapius est D. F. Blodig Cæs. Reg. pensione donatus officialis Budæ in Hungaria habitans; Hyp-pias vero D. Michael Landerer de Füs-kut famosus Typographus & recusor (Nachdrucker) Posonii, Pestini, & Cassoviæ.

Isthæc medicamenta quæ cum consensu medicorum expediuntur, & usque adeo in Siberia nota sunt, haberi possunt genuina *Pestini* apud D. Gleisner. *Posonii* apud D. Flesch. *Erzékini* apud mercatorem Katzthaler. *Temesvarini* apud mercatorem Viszinger *Papæ* apud viduam Maninger. *Paksi* apud D. Emericum Haasz. *Sopronii* apud D. Laurentium Gussett.

### B i o g r a p h i a

Lichtenbergii, & Lavateri: Primus Physicis, secundus Moralists, adnumeratur. Ille mundum, hic cælum contemplabatur, ambo magni Philosophi, satis noti sunt orbi erudito. Lichtenbergius pollebat acri ingenio, & exquisita animi benignitate, Lavaterus totus erat immersus rebus spiritualibus, verus Christianus, ejusque vitæ decursus fuit quidam prægustus gaudiorum cœlestium. Ante aliquot menses descripsimus Professore Lichtenbergium, proxime sequetur vita, Pastoris Lavateri.

---

! Nota. Si Dominus Landerer innocens est, ultro apologiam ejus vulgabimus; sin minus --- --- suum enique!